

Sancti Hannibalis Mariae, presbyteri et fundatoris

ANT. AD INTROITUM

Cf. Io 10, 14-15

Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus,
et cognóscō meas; et cognóscunt me meae,
et ániam meam pono pro óvibus.

COLLECTA

Deus, spes humílium, refúgium páuperum patérque orphanórum,
qui sanctum Hanníbalem Maríam, presbýterum,
insígnem apóstolum pro vocatíónibus rogándis elígere voluísti,
eius intercessióne, mitte in messem tuam dignos operários Evangélii,
et fac ut, eódem moti spíritu caritátis,
in tuae et próximi dilectíone crescámus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, quaésumus, Dómine, múnera quae tibi offérimus
et concéde nobis ut, exémplo sancti Hanníbalis Maríae,
qui, zelo tui amóris succénsus,
páuperes parvulósque pavit pánibus vitae,
perféctae caritatis sacrificíum
cum altáris oblatíone coniúngere valeámus.
Per Christum.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf. Mt 9, 36

Videns autem Dóminus turbas,
misértus est eis quia erant vexáti et iacéntes
sicut oves non habéntes pastórem.

POST COMMUNIONEM

Sacraménta quae súmpsimus, Dómine Deus noster,
in nobis fóveant desidérium salútis hóminum
quod sanctum Hanníbalem Maríam inflammávit
et concéde, ut vocatíone nostra digne ambulántes,
promíssum bonis operáriis praémium cum eo consequámur.
Per Christum.

PRAEFATIO

De miserationis Boni Pastoris ministerio

V/. Dóminus vobíscum.

R/. Et cum spíritu tuo.

V/. Sursum corda.

R/. Habémus ad Dóminum.

V/. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R/. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens aetérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ad cuius Boni Pastóris imáginem confórmem,
sanctum Hanníbalem Maríam
exímium miseratiónis Filii tui turbae minístrum fecísti.

Hic verus praeco Evangélii,
qui, praecépta mémorans Magístri,
pro messe tua indesinénter rogávit operários.

Hic firma sémita providéntiae,
qui, curam consúmens in órphanos,
vultum tuum osténdit consolatórem moeréntium.

Hic fidélis amátor páuperum,
qui, manus exténdens ad ínopem,
ífsdem óstium pandit caeléstis gáudii.

Propter quod caeléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo
et nos cum omni exércitu Angelórum
proclamámus, sine fine dicéntes:

Sancti Hannibalis Mariae, presbyteri et fundatoris

Liturgia Verbi

LECTIO I: **Ez 34, 11-16.31** «*Sicut visitat pastor gregem suum, sic visitabo oves meas*»
Haec dicit Dominus: Ecce ego ipse requiram oves meas...

Ps. RESP.: **Ps 22**
R/. Dominus pascit me, et nihil mihi deerit

LECTIO II: **1 Cor 9,16-19.22-23** «*Vae mihi est, si non evangelizavero*»
Fratres: Si evangelizavero, non est mihi gloria...

ALLELUIA: **Io 4, 35-36:** Levate oculos vestros et videte regiones quia albae sunt ad messem!
Iam qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam.

EVANG.: **Mt 9,35-38** «*Messis quidem multa, operarii autem pauci*»
In illo tempore : Circumibat Jesus civitates omnes...

Sancti Hannibalis Mariae, presbyteri et fundatoris

Natus est Messanae die 5 iulii 1851. Verbo Dei illustratus, omni ope ac studio in praeceptum Iesu diffundendum enitus est dominum messis pro dono bonorum operariorum orandi. Presbyteratu auctus, apostolatum suum exercuit in orphanos pauperesque quoad mores et spiritum redimendos in una ex abiectissimis civitatis suae regionibus. Orphanotrophia Antoniana et Congregationes Filiarum a Divino zelo et Rogationistarum a Corde Iesu fundavit. Messanae die 1 iunii 1927 in Domino obiit.

De Communi pastorum.

LECTIO ALTERA

Ex «Scriptis» sancti Hannibalis Mariae, presbyteri et fundatoris
(*Quaranta dichiarazioni e promesse*, n. 21; vol. 44, pp. 129-130)

*Rogate Dominum messis,
ut mittat operarios in messem suam*

Ecclésiam Iesu Christi magnum illum esse méssibus constrátum agrum recensébo, quae univérsi pópuli mundi sunt et innúmerae animárum multitúdines órdinum societátis et condiciónum ómnium. Sicut et semper recensébo quómodo magna harum méssium pars deféctus cultórum causa péreant.

Tanta transfóssum cor percípiam labe, pro illis méssibus máxime, quae novae progénies sunt. Cum íntimis sociábo poenis Sacratíssimi Cordis Iesu tanta diútina ac sera egestáte allátis et, verbum Iesu Christi sanctíssimum illum recógitans: «Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam» (*Mt* 9, 38), pro populórum, natiónum, societátis, Ecclésiae ac praesértim púerum et iuuentúris salúte, pro evangelizátióne páuperum et pro omni alio bono spirituáli ac temporáli humánae famíliae nullum esse efficácius principiúsque remédium putábo quam quod Dóminus noster Jesus Christus nobis praecépit, scílicet indesinénter Sacratíssimum Cor Iesu, Beatíssimam Mater eius, Angelos et Sanctos rogáre, ut Sanctus et divínus Spíritus vívidas súscitet vocatiónes, áimas electíssimas, sacerdótes sanctos, hómines apostólicos, novos apóstolos fide, sollicitúdine et caritaté refértos pro ómnium animárum salúte.

Huic contínuae oratióni omnes dies meos omnémque ánimum meum dicábo et omni cura ac stúdio cónsulam, ut praecéptum hoc Dómini nostri Iesu Christi, parvi etiámdum ductum, ubíque cognoscátur perficiáturque et sic per totum orbem terrárum omnes utriúsque cleri presbýteri, omnes sanctae Ecclésiae usque ad Summum Pontíficem insigniòres, omnes vírgines Iesu sacrátae, omnes clérici in Semináriis, omnes ánima piae, omnes páuperes et púeri, omnes Summum rogent Deum operários sine amplióre mora multos ac sanctos, utriúsque sexus, sacerdótes et láicos, mítttere pro sanctificatióne et salúte ómnium animárum. Dómino auxiliánte, ad sacrificium quódlibet parátus ero, etiam ságuinem et vitam dare, ut haec «rogátio» universális fiat.

RESPONSORIUM

Lc 10, 2; Ps 61, 9

R/. Messis quidem multa, operárii autem páuci; rogáte ergo Dóminum messis, * ut mittat operários in messem suam.

V/. Speráte in eo, omnis congregatió pópuli, effúndite coram illo corda vestra

R/. Ut mittat operários in messem suam.

AD I VESPERAS

Ant. 1: Evangelii factus sum minister, secundum donum gratiae Dei

Ant. 2: Omnia facio propter Evangelium, ut comprarticeps eius efficiar

Ant. 3: Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciet, dicit Dominus

Ant. ad Magn.: Sicut ministri in Cana, praesidio Matris comite, quodcumque Iesus dixit, ad summum fecit Hannibal.

AD INVITATORIUM

Ant.: Christum Dominum pauperes diligentem, venite, adoremus

Vel:

Ant.: Laudemus Deum nostrum in celebritate Sancti Hannibalis Mariae.

OFFICIIUM LECTIOMUM

Ant. 1: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae, dicit Dominus.

Ant. 2: Manifestavit nomen Iesu hominibus, et verba quae accepit a Deo nuntiavit eis

Ant. 3: Si quis mihi ministrant me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

AD LAUDES MATUTINAS

Ant. 1: In fide veritatis Deus vocavit nos per Evangelium, in acquisitionem gloriae Domini nostri Iesu Christi

Ant. 2: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificant Patrem vestrum

Ant. 3: Omnium me servum feci, ut plures Christo Domino lucrifacerem

Ant. ad Bened.: Sacerdotum speculum, orphanorum pater, pauperum defensor, fecisti quae docebas; ora pro nobis Dominum.

AD II VESPERAS

Ant. 1: Qui verbum Dei retinent corde perfecto et optimo, fructum afferunt in patientia

Ant. 2: Serve bone et fidelis, quia pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini Dei tui.

Ant. 3: Oves meae vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

Ant. ad Magn.: Sicut ministri in Cana, praesidio Matris comite, quodcumque Iesus dixit, ad summum fecit Hannibal.